

admitterentur ad subscriptionem, singulare scriptum obtulerunt Caesari, Argentoratum, scilicet, Constantia, Memminga, Lindavia. Argentina autem hodie sanam de Eucharistia doctrinam contra Cinglianos acerrimè propugnat, & Confessioni Augustanae publica testificatione & subscriptione se & suas Ecclesias aggregavit. Atq; hoc ideo diligentius & annotandum & considerandum est, ne vel Surio monacho mendacissimo, vel ijs, qui à nobis exierunt, cum è nobis nunquam fuerint, hoc est, sacramentarijs Cinglianis, & Calurnianis, largiamur & demus hoc, quasi Confessionis Augustanae nomine & pallio sacramentaria illa deliria comprehendantur. Huic enim impudentissimo figmento historia actionum haëtenus commemoratarum, & rei veritas, è diametro repugnant, ut alias, Deo volente, dicendum erit copiosius. Ad Lutherum Coburgum venit etiam D. Urbanus Regius, unus ex fidelibus Lutheri synergis, beata memoria, Episcopus Ecclesiarũ ducatus Luneburgici, cum Augusta Cellam Luneburgicam proficisceretur. Huius verba de Luthero nequaquam sunt nobis hoc in loco omittenda. Cum Saxoniam peterem, inquit Regius, Coburgi integrum diem solus cum Luthero Viro Dei transegeram, quo die nullus mihi in vita fuit iucundior. Talis .n. ac tantus est Theologus Lutherus, ut nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam, & arrogantiam

rogantiam